

Marti cum Venere assimulantur.

*i. Delphinus. x. Vultur volans. Cassum fit cetera Volgus, Festus Avienus.*

Hanc Sagittæ formam ex antiquo prototypo, verùm rudi Minervâ manuscripto, & nostro maximè accommodatam proposito, desumpsimus; si cuiquam plumbata tribolata videatur, non refragabimur, habebit testem Fla. Vegetium, & Stewechium hujus commentatorem *lib. 4. c. 29.* qui tribolatæ & mamillatæ, eruditam subnotans descriptionem, locum & auctorem quamvis incertum, allegat. Imagines Arati & Hygini, Aquilam pedibus sagittam tenentem exhibent; ratio indagari vix poterit, nec in hoc doctiores perstringendi: errorem ex Germanico malè intellecto, profluxisse suspicor.

*Est etiam incertum, quo cornu missa sagitta.*

*Quam servat Iovis ales, &c.*

Habet miracula nulla, nullas videlicet majoris magnitudinis stellas, ut Ovid. *ii. Metam.* & Auctor carminis de *Ætna.*

*Quo volet Orion, quo Sirius incubet ardens,*

*Et quæcunque jacent toto miracula cælo.*

Nonis Jan. Ægypto, vesperi, Sagitta occidebat, Plin. *natur. hist. lib. 18. c. 26.* Nobis VI. Kal. Jan. emergit. VII. Id. Decemb. decedit.

TABULA XVI. Lit. Q.

AQVILA.

*Iovis ales, Vultur volans, Ganymedis raptrix, Servans Antimonium, Græcis Αετός, Διὸς ὄρνις, Οἰωνῶν βασιλεὺς Pindaro,*

F 3

Malè